



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XIX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO XIX.

- 8. Ἀναστὰς πορεύσομαι εὐθὺς τὸν πατέρα μου καὶ ἐπὶ αὐτῷ. *Græca.*
- 8. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei. *Vulgata.*
- 8. Surgam, proficiſcar ad Patrem meum, & dicam ei. *Syriaca.*

ARGUMENTVM.

- Dicemus hodie*
- 1. Quod Prodigus noster admodum confidens fuerit, unico saltu recta vadens ad patrem, sine litteris, sine intercessoribus, & unde hac ipsi fiducia.
 - 2. Vtrum Principes recte faciant scriptis & mediatoribus tractantes subditorum negotia.

A V E.

I.

Quod Prodigus noster admodum confidens fuerit, unico saltu recta vadens ad patrem, sine litteris, sine intercessoribus, & unde illi hac fiducia?



ALI corui malum ouum. Qualis arbor talis fructus: neq; colligunt de spinis ficus ornamentum Autumni: qualis homo talia opera, tales actiones. Quorsum hæc? Si vnquam noster Prodigus ingenij sui demonstrauit audaciam, certe audacæ & confidente se ostedit in illo animi decreto, ibo ad patre. Postea etiã magis in executione. Additur enim & surgens venit ad patre. Hem! quomodo puer? surgã & ibo ad patre? qua fronte, quo ore, quo gestu, quo habitu in cõspectu venias, quid dices? Ibo inquit, vultu deiecto, facie pœnitenti, gestu supplici,

plici, incipiã à suavi voce *patri*: dicã *pater*: omnis meo sermo in vitiorum meorum acculatione & execratione versabitur, millies querulus verbum illud repetam. Promittam emendationem, vouebo, iurabo, filium me futurum paratum ad omnia, statuat de quod volet, fingat, refingat, lutum ero in manu figi. Dicam mihi satis esse, si *me faciat sicut unum ex meretriciis suis*. Quo lubet applicet sic accedam: imo sane bene habet. Hoc tamẽ videtur debere esse pro extremo, & quasi pro Achille; videris mihi primum patri gratiam melius tentaturus litteris, ac clementiam eius inclinaturus magna reuerentia, ac si cum benignum adferatur respõsum, melius facturus quẽ iudicis. Vel forte sollicitandus tibi esset senior frater, qui domi mansit; aut seruulus aliquis patri tuo intimus, qui aciem præmordeat, frangatque glaciem. Vel ex cognatis & amicis mediator querendus, qui patris choleram & bilem mitiget, tantis & tot annorum sceleribus sufflammatam. Sic patri maiorem haberes honorem, demonstrans reuerentiam, & melius rebus tuis consulens: non erubescunt litteræ, & magni à magnis multum & sæpe orari volunt: quamuis enim aliquando non inuiti dent veniam, volunt nihilominus sollicitari à variis, à Primatibus, vt sic vno munulo plures sibi obligent, & declarent quo loco amicos habeãt: vt difficultas etiam veniẽ prohibeat quo minus facile à quolibet offendantur. Nõne in ipso hoc vides Deo, qui multa non nisi ad intercessionem Sanctorum concedit, vt eos mortalibus magis faciat honorabiles.

Liberatio Traiani ab inferno, quantam patris auctoritatem apud homines cõciliauit S. Gregorio, qui eam precibus impetrauit. Ac istę litterę dimissionis, *Ægidij merito Caroli peccata remitto*. Quas pie creditur Sãctus Ægidius ab Angelo pro Carolo magno tulisse, cum peccatorum veniam desperaret: quantę fidei apud homines illum fecit Abbatem. Nonne gloriosum fuit Regina Hester, tantum apud Regem Assuerum, vel alias Artaxerxem, maritum suum valuisse gratia

gratia, vt sanguineum illud edictum, de Iudæorum
 interuencione, à crudeli Aman vindictæ cupiditate ex-
 portum, abolere. Et, miser adolescens, nunquam le-
 gisti quomodo Absolon, patris vt tu eiectus gratia,
 propter fratrem Amnon tororis sui Thamar stupra-
 torem interfectum, exulans aula quinque circiter an-
 nis & desiderans reditum, non ausus sit ipse venire in
 manus patris, sed Ioab belli ducem pro intercessore
 primum ablegasse ad patrem, dein obienta à Ioab ve-
 nisse, tandem venisse adoratum Regem, & receptum
 osculo? Quomodo igitur tu, sine vlllo interlocutore,
 recta audes currere ad patrem?

2. Reg. 14.

Ecce te animatum & nimis confidentem, vt fuisti
 semper. Aliter vero agens & expugnans quidem pa-
 trem, commodiori ratione redibis, vestitus melius,
 melius habitus. Pater enim bonam tuam volunta-
 tem intelligens, forte media quedam subministrabit,
 vt à capite ad calcem vestitus, bonus domum redeas
 filius: & qui iam vix curto breuique occures opertus
 centone, quem colores & scruta distinguunt, quo i-
 gnominiam ipsi facias, reuerti forte poteris, promissa
 indutus cyclade, meliori stola. Et qui iam tuis occur-
 res ligno aridior & salpa, macie & fame tabidus, vix
 hærens pelle & ossibus, poteris paulo post recepta
 carne, recepto colore, melius habitus, maiori cum
 laude aspici. Et qui iam forte astabis innixus super
 baculum, dormiens inter dumeta, & sylvas, aut ho-
 spitalium vmbras, redire possis in rheda, nummato
 marsupio, non minus spectabilis ac lætus in reditu,
 quam exitu.

Cur igitur non scribis prius patri, cur intercesso-
 res non aduocas? Per fidem vestram, dilectissimi,
 prodigus ille non videtur vobis consultus male, aut
 mirabili animatus fiducia? Ego quidem sic arbitror.
 Videamus igitur quodnam tantæ spei fundamen-
 tum, aut cur ita adornatus processerit.

Respondere possem primo, factum hoc ex igno-
 rantia. Forte ita fuit institutus, vt nec legere sciret nec
 scribere: forte non parentis vitio, quasi ipse ad scho-

las eum non miserit, dederitq; operam vt proficeret, sed negligentia eius & litterarum tædio, nimum fi-
dentis futuris opibus: forte semper ab initio prima-
que ætate adeo fuerit inhabilis studiis, quam a fine
lyræ, porcus ad tubam, muliercule ignauæ ad colun-
Deus bone, quã multos videmus filios crassos ac in-
dociles, à sapiere nasci patre! Legitur Herodes quidam
Atticus, et si homo ingeniosissimus, nulli in eloquentia
secundus, filiũ habuisse adeo hebetem, vt prima nun-
quam elementa discere potuerit. Cicero etiã filiu habu-
it sibi quidem cognominem, ad eloquentiam tam etiã
& famam patris ne uiquam accederem: audire uell-
bentius patinas quam chartas, magis amantem Bac-
chi quã musarum, & philosophiæ: unde *bicongy* cog-
nomen accepit. Sed nostrum Prodigum scriptorũ
fuisse ignarum facile crediderim: quia Herus eius
non scribam non secretarium, sed vt rudem & inha-
bilem porcorum destinauit custodia. Quod secretar-
ium si litteras nouisset, fuisset dedignatus, & potius
aperuisset ludum scholulamque scriptoriam.

*Philostat.
in eius vita.*

Bapt. Egnat.

Credo illud satis. Nam idem etiam de magnis se-
gimus Imperatoribus, de magno Iustiano, qui uis
ciuile redegit in corpus; de Licinio Imperatore, qui
adeo fuit imperitus, vt nec propria subignare pot-
decreta. Si roger unde hæc tanta ipsius ignorantia,
adferam præter naturam incapaciam, studia voluptu-
tum, quæ simul cum litteris stare non possunt.

Non iacet in molli veneranda scientia lecto

Qui mane uigilauerit ad me, inueniet me.

Qui studet optatam cursu contingere meam,

Multa tulit fecit q; puer; sudauit & alfit.

Inde scilicet: quod scientiæ honorem & præmium i-
gnoraret. Ignorabat hominis opes pulcherrimas esse litte-
ras, nesciebat miser tantum litteratos illiteratis præ-
stare, quãtum homines bestiis: litteris hominem hu-
manum fieri, imperatorem, illas esse quas Bias arden-
te patria, tãquam suas extulerit. Quæ ignoramus au-
tem neg'igentius quærimus: cum præmium, bonitas,
pulchritudo, ad inquisitionem inuitent. Forte etiam
seculi

*Cic. in Para-
dox.*

seculi istius malo, cum omnes negotiationibus, aut
agri cultura dederetur: mundus enim non semper æ-
que fuit litteratus, & forte doctior nunquam quam
modo. Forte etiam quia in patria ipsius rudiores tum
promouebantur magis, contemnebantur doctiores,
etiam tum sicut paulo ante regnum Caroli septimi,
Regis Franciæ beneficia magis dabatur mulionibus,
magnisque leonibus, quam doctis: & officia dignita-
tesque magis adulatoribus, & curiæ sectatoribus,
quam hominibus seriis: adeo ut tum utilius videretur
& melius studere assentationibus placere, risum facere,
qualicumque tragœdia, quam temporis momentum
bonis litteris impendere. Asini enim portabant my-
steria, asini coronabantur, vituli aurei adorabantur,
ut tempore Moïsis, cum sceptris & purpura.

Docti viuere debebāt doctrinæ suæ gloria contēti,
satis ipsis debebat esse iucunda veritatis notitia, nihil
ultra sperandū magni. Carolus septim⁹ prædicti Sixti
filius in solēni Episcoporum concilio sanxit, ut qui plus
olei studiis impendissent quam vini ebrietati, promo-
rentur ad beneficia. Certe nihil æque ad refrigeran-
dum, imo ad extinguēdum studiorū ardorē est accō-
modum, quā videre litteras contempas, & abiectas,
videre bestiam in throno decē coronis coronatā, ho-
mines a. prope diuinos, regēdis idoneos imperiis, ad
asinorū pedes cōsistere, aut ignotos iacere in angulis
& mulsis. *Vbi malos premia sequuntur, haud facile quis
gratuito bonus est,* dicebat Philip. Orat. i. ax. Sicut cōtra
nihil æque litteras resuscitat, quā si in honore habeā-
tur. *Sint Macenates nō deerūt Flacce Marones. Quot fœ-
lices Poetæ tēporib. Augusti & Mecenatis nati sunt?* L. Philip. o-
quos amicitia iūgebat, & litterarū fauor. Sub Carolo *ra. in Sena-*
magno quot inuēti sunt Theologi, postquā Sorbonā *tu. Is fuit*
Parisiis, & studium Parisiense instituit? tēpore Francisci quem Cice-
Valesij quanta doctorum scriptorum copia? quare? *ro proximiū*
nisi quia magnus ille Princeps pater erat scientia- *fuisse Crass.*
rum, fautor doctorum: quia salaria instituit certis do- *& Ant. di-*
ctoribus, qui publice profiterentur sciētias, & quatuor *xit in clar.*
iustituit professores ordinarios, qui sepultas pæne *Ora.*

Græcas & Hebraicas litteras resuscitarent: quia fauebat doctis, ac inter alios Franciscum Budæum Græcum, libellorum supplicum fecit magistrum. Hoc effecit, ut nemo esset bene natus, qui studia horret: adeo ut summo iure instaurator litterarum patrum titulum audiat. Si igitur Prodigii tempore studia vigebant in spheristerio, credibile est satis ipsum scribendi legendique aut omnino aut pene ignarum.

Quis nouit etiam an forte edictis studia ibi non fuerint vetita, clausæque scholæ, scientiarum odio: ut sub Licinio Imperatore, qui eas pestem solet appellare, perniciemque publicam: aut ambitione & studio excellendi plebem reliquam, quo ingenio fuit magis Alexander, qui ægrè tulit scripta Aristotelis esse publicata, quod nimirum plebecula suo Rege non foret indoctior: aut metu, ne forte Doctorum consiliis dominio euicerentur & tyrannide, cuius generis fuit Aristodemus quidam Aricinorum tyrannus, de quo Dionysius Halicarnasæus scribit quæ sequuntur. *Ne vel in aliorum ciuium quoquam animus fieret generosus ac masculus, dedit operam, ut effemineretur tota urbana iuuentutis educatio, sublati gymnasiis, & armorum meditationibus, & mutata victus ratione, qua prius ut erat*

Dionys. Halicar. lib. 7. antiq. Rom.

Vide Greg.

Nazianz. orat. 47. quæ

est 1. in Iulianum pro-

pe initium.

Socrat. hist.

Eccl. lib. 3. c.

10.

Dion. Halic. li. 7. ant.

Ro. de Aristode.

Greg. Nazianz. ut supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

supra.

Sic studia & litteræ liberales dictæ sunt, tanquam libero homine dignæ, merentes & iuuantes libertatem: vel etiam studio abolendi religionem, ac introducendi superstitionem & hæresim, sicut olim Iulianus Apostata, qui ut fidei Catholicæ defensores minueret, ac dialecticis gentilium faceret inferiores, introduceret Paganismum, quem perfidus à Christianismo Apostata repetierat, prohibuit Christianis humaniores litteras, artium & eloquentiæ studia, clausit scholas; ut olim Philistæi gladios & arma abstulerunt Israelitis, & Aristodemus cauit suis, dedicans gymnasia Diis, timore rebellionis. Argumentum magnum, inquit Nazianzenus, infirmitatis & stoliditatis Paganismi, edictum vanissimum, quo prohiberi potuit ne argute & compositè Christiani dicerentur

ut verum

ut verum dicerent impedire nequaquam.

Certe si nostri Prodigii tempore tales tyranni regnum tenuerunt, nihil mirum si nec natare nec litteras nouit.

Potuit etiam ante litteras inuentas vixisse, paulo ante Mosen, qui iuxta nonnullos primus Iudæos litteras docuit, vel paulo ante Abrahamum, quem Philo Iudæus putat litterarum inuētorem, vel ante diluuium temporibus Seth. Filij Adam, cuius filij scribere noverunt, & forte scribēdi artem inuenerunt, saltem hieroglyphicis, cum Iosephus dicat ipsos inuentam a se astronomiam, duabus inscripsisse columnis, quarum altera saxea, contra aquam, altera argillosa contra ignem. (Verisimile enim Christum ex remotissima antiquitate sumpsisse parabolam, ne diffamaret hominem) atq; ideo nihil mirum si artem hanc ignorarit, ac multo minus si ignarus cum patre primum non transegerit.

Aut si forte scriptura tum satis familiaris, nec prohibita à Principibus, forte tantillum sciuit vt cruce & vncos faceret magis Arabicos, quam litteras aliquid nobilis. Maluisset pater ipsius ciferas, & abbreviationes exponere, quam talem Epistolam perlegere. Nullos satis firmabat characteres, nec digito in puluere, nec cultello in arboris cortice, nec penicillo in laurifoliis, nec celte in plūbi lamina, nec graphio in saxea tabula, nec stilo ferreo in marmore, nec canna vel calamo in pergamento, nec penna in charta: vere magnus Dominus in paupere oppidulo. Scriptura ipsius hominibus non fuisset gratior, quam vita Deo & Angelis. Scripsisset adeo artificiosè, vt pater ipsius, qui legere non diuinare didicerat, aut frater, aut cognatus, cuiuscūq; scripsisset, accersere debuisset aut Genebrardum aliquem, dicturum an forte essent littere hebraicæ; aut Esdram an forte viderētur Chaldaicæ; aut Auerroem an Arabicæ; aut Cleonardum aliquem aut magistrum meum Franciscum Carionem vtrum stylus esset Græcus; aut Zoroastrum, an forte notæ non essent astrologicæ; aut Chremonem aliquem,

C c s aut

Polyd. Virg. lib. 1. de Inuent. c. 6.

Vide Mich. Glycam p. 2. Annal. de Seth.

Vide Pieriū ap. dedicat.

Hieros. Ioseph. lib. 1. antiquit.

*Vide Polydo-
rum li. 2. de
Inuent. cap.
8. in fine.
Item Ioh.
Bapt. Porta.
Neap. de oc-
cultis litte-
rarum notis
cap. 1.*

aut Mercuriū Trismegistū, an forte signa essent Hieroglyphica; aut aliquem Iohannem Baptistam Portā an fortasse nota essent Arithmetica, & scripta mystica. Exhibita si fuissent Alamannis Bragmanis, Garamantis, Cretensibus, Indis, omnes vno ore dixissent & incantationes magis esse, quam libellos suppleti. Forte etiam quidam dixissent patri veneficia esse, litteras diabolicas, cōiurationes, easque nihilo esse suo autore meliores. Dimisisset deniq; patet litteras nō minus à manu sua virgines, quā Putiphara vxorē manū Iosephi: vtinā Martinus Lutherus, aut Iohannes Calvinus, melius scribere nescissent, nec secretarios habuissent politionis manus: nemo vnquā, etsi maledicta ipsorum hæreres ita fuissent litteris mandata, verbū vllum legisset, intellexisset: atq; ita breue fuisset cum ipsis certamen. Cur igitur perderet operam, irritaretque patrem manu tam legibili, sciens quam parum hac in re posset, quanto satius totū omitteret. Aduertite hic parentes, quanti pretij sit vt filij vestri bene scribere discant, & vos iuniores quātum proficiat, quantum obsit, multū ac parū in prima ætate discere. Quanti putatis Prodigus modo redimeret temporis & pecunias, in scholis bene impendisse, ac patri pulchre posse scribere. Aut si forte nouerit, has aut similes quo minus vteretur inuenit rationes. Litteræ mortua simulachra sunt, corpora siue anima: nunquam eam mouendi vim habent ac energiam, quam viua vox. Nescio quid viua verba præscriptis habeant vigoris. Non æque afficit sermo ab ore & calamo exiens. Vnde quidam nō indoctè ait: *eosdem versu. Virgilij in prænuntiante, bene sonare: sine illo marcescere quasi murti.* Multa potest presentia surgam igitur, & ibo ad patrem. Non scribam, sed dicam, peccavi.

*Wolffius præ-
fat. in suam
Demosth.
versionem.*

Litteræ etiam proluxæ multo dicunt minus, quam colloquium breue, & breuissimæ longiores videntur, plusque habent tædij, quam sermo protractus. Mutæ sunt, nihil replicant ad minimum responsum: sed cōtra asinus est, & reuera piscis, qui cum ipse ad sit negotio, saltem semel nesciat reponere, & commutare verbum.

bum. Surgam igitur, & ibo ad patrem, & dicā sine scripto peccavi in caelum, peccavi in caelum.

Insuper litteræ non raro interceptantur à locorum & itinerum custodibus, etiam malitia hominum: amittuntur nonnunquam nunciorum negligentia, & nescio quis eas aliquando casus auferat. Legimus enim lupum carnis odore, quæ in sacciperio nuntij apud litteras inclusa erat, quas cōtra Dionem ad Dionysium ferebat tyrannum, accurrisse; & dormienti tabellario in sylva, cum carne simul eripuisse epistolas. Unde & res tota Dionis innotuit. Sic & meæ, cogitavit forte, si interceptantur aut aberrent, mihi conciliabunt infamiam, & propria me damnabunt confessione; & si enim hic miser sum, & fame pereo, non tamen (Deo gratias) bona æstimatione sum exutus: nemo hic nouit quam fuerim importunus patri, quod hæreditatis partem extorserim, quod omnia mea prodegerim, etsi quidam forte suspicentur, ignorant tamen qua via: totum enim peccatum est in regione longinqua. Cur post bona perdata, honorem periclitabor.

Omnia si perdas famam seruare memento.

Non noui arcanas fingere notas, signa Arithmetica, Hieroglyphica quibus eludam periculum. Si verbum excidat inconsideratum, corrigam illico; si quid scribam, honeste id postea negari non poterit. Quis ignorat, si Catilina eum coniuratis litteras cōspirationis non subsignassent accusari potuisse, damnari nunquam: non minus occidit calamus quàm gladius. Littera scripta manet, asseruatur, exhibetur semper. Verba in ventum abeunt: & quamuis nec vitæ, nec honoris, ex litterarum interceptione foret periculum, si forte in fratris aut cognati alicuius veniant manus, quis scit an non forte omnino celaturi sint patrem, timentes si obtenta venia reuertar domum, spes suas fore vanas? fratris quidē, qui me perditio sperat omnia: cognatorum qui maiora sperant legata, & si vnus tantum superfit: frater ex proximo hæreditatem respicient: oberit ipsis commodū meū.

Fratrum

Vide Ioan.

Bapt. Porta

lib. 1. de oc-

cultis litte-

rarum notis

cap. 4. in fi-

ne.

Ouid. in
Met.

—*Fraterum quoq; gratia rara est.*

Lucan lib. I. Pharf.

—*omnisq; potestas*

Impatiens consortus erat.

Idem ibid.

Frater no primum maduerunt sanguine muri.

Surgam igitur, & *ibo ad patrem*, sine omni scripto multum enim mihi periculosa est mora: nam hic *fac me pereo*. Non serus ipse illic adero quam quas mitam litteras: lente aliquando perferuntur, & tabellarij cursum aliquando faciunt testudineum, ac veniunt post festum, & quando aduenerint portigunt litteras cum videtur: adeo vt si carnes essent aut salienda, ut fumanda vt fit in inferiori Germania, iam salsa indurataque satis esui essent, cum traduntur.

Et quis nouit an non forte pater facturus sit quod olim Imperator Augustus, quem aiunt omnibus prefectis Orientis mandasse vt si littera intra vigesimum non traderentur diem a data, nullius essent valoris significans intra datam & tam seram traditionem, superuenire posse alia Romae negotia, quae prioribus contraria imperare cogerent.

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.

Forte parum curabit litteras meus pater, quod diu datae sint. Et si quam celerrime tradantur, forte diu deliberabit, & consultabit cum amicis de responso: atque illud tum demum dabit vt volet, cum volet aut poterit. Nec mereor aliam meae curam, nec ipse forte inueniet per quem tale quale responsum remittat. Erunt forte conditionatum, & meum rursus requiret responsum, & illud forte tertium, antequam me possim dare itineri. Nam litterae nihil pariunt nisi litteras: iam annus labetur dimidius, & menses, & interim me fames deuoratum sepeliet. Ego autem hic *fac me pereo*: Litterae reuocatae tum venient, quando exequiae & funeralia mihi cantantur, vt medicamentum mortuo. *Periculum in mora est, Surgam igitur & ibo ad patrem meum, & dicam ei, abstinebo a scriptione.*

Ad hae:

Ad hæc: de rebus meis forte loqui cum patre poterero, scribere nequaquam. Ad colloquium enim ingenij promptitudo mihi aderit, ad scriptionem parum est prudentiæ. Sæpe audiui si cuius sapientiam aut stultitiam explorare vales, calcaria pedibus, aut calamum manui indas. Non ita omnem prodere volo insaniam, ut tanti momenti negotia perscribam. Nouit pater quantum loqui, non quantum scribere noui. Inconsideratum verbum simplicitati, scriptio brutalitati imputatum: si verba reuocari nõ possunt, multo minus scripta: si nocet loqui malum, male scribere vrit.

Verba sæpe tam cito euanescent à cordibus, quam ab auribus. Scriptura verò perpetuum est contra auctorem testimonium.

Vox audita perit, littera scripta manet.

Surgam igitur, & ibo ad patrem, & dicam ei, &c. Reuera, dilectissimi, Prodigus noster in tanta sua infamia, illam habuit prudentiæ vnciam, ut litterarum interceptionem, & scripturæ æternitatem timeret.

Et hæc argumenta inter cætera motiua principalia fuerunt itineris mei Romam ad Paulum Quintum, ut apud ipsum securius ore quam litteris agerem, negotia quædam publica, quæ cum ea nuntio Apostolico Bruxellis narraßem in conclauis, dixit ut opinor eisdem verbis: *scribe hæc summo Pontifici: hæc non poterunt non esse grata summo Pontifici.*

Cumque ea multis iam annis essem meditatus, resolui tandem, & dixi cum Prodigus nostro, *Surgam & ibo ad patrem, & dicam ei: ut & feci, Deo sit laus, & gloria, gratia beneuolentiæ Pauli Quinti.* Ut non plura hic gloriar, sed redeam ad Prodigum. Porro, cur scribam confessionem meam dicere potuit: malo iam ore quam calamo facere, ut magis erubescam, & plus promerear: (nam non erubescunt chartæ) & ut ita securior sim in conscientia (qui enim peccatum suum confiteri ore cum possit, non vult, nisi per litteras vel *NAVAR. CAP. 21. NUM. 38.* per nuntium, siue ex verecundia, siue ex pigritia, et si non incelebris Doctor opinetur confessionem per litteras

litteras factam, & absolutionem sic remissam esse validam, (contraria tamen mihi videtur magis vera) vt etiã mihi tutior sit honor, ne forte aut perita scedula, aut male clausa à patre, ac ab alio inuenta, forte etiam per imprudenciam aut impatienciam exhibitus peccatis ita publicatis, honorem omnem perdam & æstimationem. Certe Prodigus iste bonas habuit rationes: nam reuera opinio Nauarri, & complurium aliorum, quod confessio & absolutio per scriptum sint valida, post Clementem octauum, beatæ memoriæ, vix videtur teneri posse. Nam decretum fecit de decimo nono Iulij, anni millesimi quingentesimo nagesimi noni, quo illam plane abstulit, damnauit, tanquã falsam, temerariã, & scandalosam. Et magis noster Legislator S. Franciscus, multo ante Clementem simile aliquid damnauit: cû enim quidã ordinis eius religiosus admodum probus, & vt videbatur deuotus, adeo esset obseruãs silentij, vt sacerdoti signis tantum non verbis confiteretur. Multis annis postueniens ad conuentum eius S. Franciscus, & erudens de conuersatione commendari, dixit aliis: scitote istum agendi modum tentationem esse diabolicam, cum is verè confiteri non velit. Et cum generalis adueniens ad visitandum S. Franciscum, vehementer Religiosum istum commendaret: crede mihi, inquit S. Franciscus, Frater iste Spiritu ducitur maligno & decipitur. Cumque id generalis non crederet, de homine cuius tanta sanctitatis essent signa, adiecit S. Franciscus, experite, dic illi: Frater bis aut saltem semel, ranaquaque septimana tibi confitendum est. Quidamquit Frater, imposuit digitum labello, sicut Anacharis quidam resuscitatus, nutibus & signis abnuens, illo modo hoc facere, ne silentium suum, quod tantopere amabat, rumperet: vnde & Generalis cimens scandalisare hominem, reliquit eum in pace. Quid accidit? Frater ita taciturnus, exiit ab ordine, abiecto cucullo rediit ad seculum, viuens admodum misere in habitu laico, ac postmodum inuentus laepe fuit a S. Francisci sociis iurans per fidem suam, qui

D. Bonau. c.
10. vita S.
Francisci.
Chronicum
Minorum
lat. lib. 12.
cap. 28.

ni non tantum otiosis, sed & necessariis abstinuerat
 sermonibus, malens confiteri per signa, oculis sacer-
 dotis, quam per verba auribus, iuxta morem Ecclesie
 Catholicae. Non igitur sufficit signis confiteri ac scri-
 ptis. Quamuis concedam, si forte mutus quis sit, vt S.
 Iohannis Baptistæ pater, si scribere nosset, aut gesti-
 bus conceptus bene exprimere, sicuti reuera quidam
 gestibus artificiosissime loquuntur, teneri ipsum con-
 fiteri per litteras, ac signa, & proculdubio satisfaceret
 confessionis legibus. Nemo enim obligatur ad im-
 possibile. Non dico malum esse peccata scribere, ac
 a sacerdote ex scripto recitare, vt tanto integrior fiat
 confessio; & forte sic accidit quod scemina, vt scriptor
 quidam doctus & pius refert, tradiderit peccata sua
 scripta S. Basilio, supplicans vt pro remissione inter-
 cederet: quod cum fecisset, omnia peccata eius appa-
 ruerunt deleta, excepto vno quod enormitate reliqua
 superabat, pro quo missa est ad S. Ephrem: cumque
 nihil profecisset, & rediisset ad S. Basilium, inuenit
 eum mortuum. Quare dedit se ad lachrymas, & char-
 tam in S. hominis pectore extendit, vnde eam postea
 recipiens, vidit etiam illud peccatum vt cætera de-
 letum: bona ista mulier ideo forte peccata scripsit,
 vt ea ordinatius & integrius confiteretur. Ac vt vi-
 sibili litura in charta, inuisibilem in anima peccati
 abolitionem, virtute sacramentali tanto clarius
 inspiceret, adeo forte fuit scrupulosa. Quantum
 ad me igitur, inquit Prodigus, *Surgam & ibo ad
 patrem meum, & dicam ei, &c.* Scribere enim nec
 necessarium, nec satis tutum. Opinor denique ideo
 non dici quidquam scripsisse ad patrem, vt melius si-
 gnificet modum agendi peccatorum, quibus Deus hic
 exemplar proponit, & Ideam formamque perfectam.
 Quamuis enim legatur Deus aliquando scripsisse ho-
 minibus, vt cum tabulas Moysi digito inscripsit, & in
 Regia Baltasari inter cenandum tria ista arcana ver-
 ba parieti *Mane, Thecel, Phares:* & legem naturæ in ta-
 bulis cordium nostrorum, & ab æterno librum vitæ
 qui in cæli repositus est Archiuis, de quo Moses,

Dele

*Marc. Ma-
 rtil. lib. 4. ex-
 empl. cap. 11.*

Dele me de libro quem scripsisti. Item parentes quasdam remissiones, vt forte cum Carolus magnus absolutio- nem sequentibus verbis accepit,

Ægidij merito Caroli peccata remitto.

Et quamuis inueniatur Dominus noster scriptus in terra, cum depræhensa in adulterio ad mortem peteretur muliercula; vnas etiam responsorias, ad Abagarum regem Edessæ, qui ipsi per Ananiam Ierololy- mam petitorias destinarat, vt habet Eusebius (tran- sumptas ex Archiuis dicti loci & Regis) nihilominus tamen non inueniuntur sæpe homines scripto cum Deo egisse, sed verbis, rursus in pectoris, gemitibus. Tanta illa maiestas est, vt vbique adsit, nec neces- se habeamus tanquam absenti scribere, ac tam reue- renda est, & nos ita nihil, vt in propria persona cum tremore illam adire debeamus, non arroganter per- litteras; adeo etiam sapiens est & subtilis, vt etiam gemitus nostros intelligat, videat, & prouideat cogita- tiones, sine voce, sine signo, sine scripto. Et qui nostri singulis momentis ad Deum essent tabularij? canci- to preces nostræ ad Deum euolant, quam litterarum quemcunque etiam imagineris cursorem.

*Euseb. Ca-
sar li. 1. hist.
Eccles. c. 15.*

I I.

Virum Principes recte faciant scriptis & mediatoribus tractantes subditorum negotia.

SED ad hanc rem quæri posset: vnde hodie Princi- pes fere & Magnates, Pape, Imperatores, Reges &c. velint, saltem vt plurimum, petitiones, supplica- tiones, grauamina, scripto proponi, & per memoria- lia vt aiunt Itali? Ac vtrum non facturi sint melius, si ipsimet partes loquentes audiant? Respondeo primo. Consuetudinem istam non esse ab heri & nudius tertius, sed ab Imperatore Tiberio, sub quo Christus mortuus est, inuentam & imperatam: qui ita cupie- bat fieri à populo, & ipse etiam scripto respondebat. Constantino oblatis sunt libelli contra Catholicos Episcopos.

*Tranquil-
lus in vita
Tyberij.*

piscepos. Reges Gallia ab initio libellos supplices
 fecerunt presentari, cum sederent pro tribunali
 iudicium (vt inquit Vincentius Lupanus) dein
 Cancellarius substitutus est Regi, quatum ad dicen-
 dum ius: & tandem cum Cancellarius non omnia
 posset, allati sunt octouiti, ex quibus magnus ali-
 quando fuit Budæus, liberalitate Francisci primi, &
 nomen habuit magistri libellorum supplicum, quos
 alij appellant à libellis, alij ad libellos, plures sermo-
 rum magistros, vel Principes. Iustinianus etiam appella-
 uit illos Principes sacri laterculi. Rex etiam Asuerus,
 maritus Hester, sic videtur voluisse adiri, cum ipsa
 Regina ac sponsa eius Hester, non sine vitæ periculo
 personaliter supplicatum venerit pro populo suo,
 iam morti destinato. Forte etiam Dauid hoc modo
 egere incipiebat, atque ita tractare Rempublicam,
 cum diceret Absolon plebeculæ: *Non est qui te audiat
 constitutus à Rege*, & vt tanto facilius patri eriperet
 coronam, in via stabat, ac porta; osculans, amplectens,
 & aduocans omnes qui Regis indigebant opera: o-
 prans fieri magnus Regni Iudex, & Cancellarius, di-
 cens, *Quis me constituat iudicem super terras, vt ad me
 veniant omnes qui habent negotium, & iuste iudicem*. Vi-
 deri hoc posset aliquo modo, nisi fuerit, vt opina-
 mur, calumniæ hominis ambitiosi, qui falso obtre-
 ctabat patri, vt eum induceret in odium, & suam ex-
 ruinis eius strueret magnificentiam. Et hoc de pri-
 ori.

Quantum ad secundum. Dico simpliciter audire
 ore ad os, melius fore & diuinæ legi conformius: quæ
 licet, *Audietis paruum & magnum*. Quæ ideo etiam
 recepit vt iudices sederent in portis, ac ibi institue-
 rent tribunalia, vt omnibus concederetur audientia.
 Dominus noster iussit non prohiberi paruulos ad
 accedere.

Videtur etiam magis hac ratione satisfieri populo,
 qui omnia Regum verba suscipit vt oracula. Ac ideo
 etiam personæ dicuntur publicæ, quia scilicet aures,
 ora, quicquid agunt, quidquid sunt, toti mûdo com-

D d muni-

Vincēt. Lu-
pan. lib. 2. de
magist.

Fran. or. tit.

Magistri

Request.

Ibid.

Num. 3.

municant. Hoc etiam monent Apophthegmata, que præcipiunt magnatibus, *audi & alteram partem. Audi dicunt, non lege.* Sic & Regibus, alteram aurem letuandam actori, alteram reo. Idem & mōstrare voluit muliercula, quæ Philippo Regi Macedonum differenti de die in diem dixit aliquando, *si tu aut non par aut non vis, dimitto sedem alteri qui me iudicet.*

Quis scit an non forte ea de causa Midas Rex Lydiæ a finias dictus sit habere auriculas, ut significetur Regem acutissime debere audire; qua in re excellunt asini. Et admodum verisimile ideo olim pictos fuisse Iudices sine manibus, sine oculis, ut significarentur nec accipere, nec legere libellos supplicis, nec planctus curare. Quid? plebi multo melius suffit, si aspectu & alloquio honorata Regis oracula ex ore ipsius audiat, quam si videat signaturam.

Iust. hist. li. 1.

Iraſcuntur si non crebrius se exhibeat, quam imagines in quadagesima, aut Reges Orientalis Indię, maxime Rex Borneij, qui nemini nisi vxori & liberis loquitur, reliquis nobilem aliquem respondere iubet, per foramen & fistulam: quod & factum Regis Catholici legato, ut Indicę habent historia. Et apud Persas, persona Regis sub specie Magistratus occultitur dicit Iustinus historicus. Ad hæc etiam, quando nolunt sublato à subditis aspici oculo, quod de Regibus Æthiopię dicunt, Persiæ, Turciæ, Tartariæ; nonne rogare subditi possunt, habemus Regem necne? Hoc nimis est Deum æmulari, facere se inuisibilem, inaccessum, intractabilem. Cui contra ut Dei inuisibilitas suppleretur, dari sint Reges tanquam vice-Dei, ut ea ipsi visibiliter facerent, que non conuenit ut Deus tam familiariter agat; non expedit hominibus tam sæpe videre & audire tantam maiestatem dicebat populus Israel, cum semel tantum Deum audisset, *loquere tu nobis Moses & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.*

Exod. 20.

Quis ignorat quantum sæpe mali subditis adferat, quod ipsorum scripta & memorialia supprimantur, nonnunquam alio ablegentur, nonnunquam differantur.

tantur. Nocere ipsis etiam potest Regibus, quod adeo
 sint inaccessi, ita ineffabiles. Miser Burgundiæ Dux
 Carole, pro dolor plus habuisses fortunæ, plus ho-
 notis, Ante Nancæum, si infelix Ciphronius, Cam-
 pobachi proditoris tui ad Lotharingū internuncius,
 complex proditoris, captus & in vestigio suspendio
 ad iudicatus, permissus fuisset tibi loqui ante mortē:
 vidēs enim Ciphronius rebus suis expedire, petiit per
 nobiles admitti ad colloquium Ducis, aperturus que
 eī cōmuni essent: iussus à Duce significare per alios
 aliquid haberet, qui opinabatur nihil quam vitam suā
 petiturum, maxime in stāte Campobacho proditore,
 ne audiretur, etsi multi pro audientia intercederent.
 Timebat enim Campobachus accusari apud Princi-
 pem proditoris, a Ciphronio: vnde & Tribuno mili-
 tum imperavit accelerare supplicium, atq; ita mor-
 tuus est cum maximo Caroli detrimento, quod, ut ait
 Philippus de Comines, facile euitasset, si humanior,
 faciliior, & ad audiendum Ciphroniū fuisset paratior,
 qui ipsi omnes proditoris ciferas recalculasset. Ne-
 gato enim aditu, tempus dedit Campobacho pette-
 xendi quam orsus erat in Italico itinere proditoris
 telam, ut sc. Ducem aut viuum traderet, aut cæsum:
 quod & accidit. Obtruncatus enim est ante Nancēū,
 anno millesimo quadringentesimo septuagesimo se-
 ptimo. Vtinam tum ut consueuerat antea, egisset. Di-
 cit enim Cominei in Latinū versor, *suorum negotia &
 controuersias cognoscebat ipse, & liberaliter eos audiebat.*
 Hæc p̄o verbali Principum cum subditis actione.

*Philip. Co-
 min. lib. 7.
 histor.*

Nonne ego tamen ob bonas etiā rationes scripto
 aliquando cum Principibus posse agi: quamuis enim
 præcipiat lex Diuina, *Audietis paruum ut magnum: nō*
 ita rigide accipiendum, ut Iudex semper teneatur ac-
 commodare os, & aurem: sed hoc solum, siue scripto,
 siue viua voce fiat, nō minus in ea re fauerur pauperi,
 quam diuiti: ac forte etiam quod in iudiciis nō aliter
 audiendus sit diues, aliter pauper; diues sc. loquens,
 & viua voce causam agēs, paupere loqui nō permissio,
 sed scripto tradere si q̄d habeat dicendū. Quasi dicat,

Leuit. 19.

non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Si magnis apud Regem sit loquendi potestas, & paruis: si magnus scripto agit, agat & minor: auditis, id est tractabitis, magnum & paruum: sed pro dolor accidit hoc S. Iacobi, vt diuites sedent bene, pauperes stent; toga holoserica ante forum se ventilet, lacera ante ianuam aut fenestram.

Num. 3.

[Iacobi primo.] Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloria. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui veste clara indutus est & dixeritis ei, tu sede hic bene: Pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum in quarum?

D. Chrysof.
apud Mich.
Glycam.
par. 3. Ann.

Inter rationes autem quibus putē scripto agi posse, ecce hanc primam. Propter varietatem nimirum idiomatum in prouinciis quibus Reges praesunt, quarum tantus nonnonquam numerus, vt singularum linguas Reges scire nequeant. Non omnes Pontifices non omnes Reges, a deo felices sunt vt Mitridates rex Ponti, qui duarum & viginti nationum linguis loquebatur. Non omnes habent tam felicem Pentecostem, vt cum Apostolis omnium linguarum donum accipiant: nec vacat ipsis, nec expedit, tempora rebus magnis necessaria, minimis discendis impendere, ac subditi saepe linguam non callent sui Principis, vt cum alloquantur, & negotia explicent, atque ideo quod volunt scriptum porrigunt, & Principes respondent scriptim idiomate, quod commode assequantur & sic vtrunque commodius scripto agitur quam voce.

Ideo etiam ne forte Principi quidquam excidat, minus pensiculatum, quod alioqui in multiloquio, cauere impossibile; ne sic in vilipendium labatur princeps. Non aliter ad populum loquendum est Principi, aiebat quidam Græcus, quam si ageret in tragœdia. Princeps scripto respondens certiori rem
examinat

examinat iudicio, propter seripcionis moram, quā faciat respōdens ex tēpore. Nō omnib. æqualis est prōpitudine, & iudicandi felicitas Magnus beatæ memoriæ Henricus Quartus mirabilis fuit ea in re, ac prope potuit omnia, magis ingenij alacritate quam lectione librorum: acute, argute, lepide, vt cum ad diuendam pyramidem staret in procinctu, ac magnæ autoritatis quidam Dominus illi diceret, Rex hæc tui amore exstructa est, amore etiam mei ait destruetur: & alter ministri tui illam erexerunt: magister, inquit, poterit ergo libere euerrere. Sed vbi secundum habebimus Henricum?

Illam etiam causa tubest, ne inconuenienter & cum damno respondeat personę suæ, aut status, aut supplicantis: si coram agat abreptus aliquando off. ctu, qui animum turbet, vel offulcet rationem: non enim magis Reges, quam nos mortales, eximuntur passionibus. Si enim quis ipsam inuenit tristem, aut iratum, aut importuniorē affatu exasperet; verbale responsum adeo posset reddi seuerum, ac sæuum, vt & Regem, & sollicitantem, & totum regnum pœnitet. Respondens autem scripto, tempus habet componendi animum & moderandi responsum, subsidente cholera. & refrigerata bile. Quid, si qui suadebat irato recitare alphabeta, antequam quicquam ageret, vt intermedio tempore subsideret animus, credidit tantillum spatium iuuare ad extinguendam choleram, nonne Principis abitus in cameram, scripti relectio, de eo consultatio, apostillatio, ac subsignatio, nonne multo poterit amplius? quis dubitet? Aut si quis ipsum inueniat bonis nuntiis gaudentem, aut liberalius inuitatum, vt probabiliter in die natiuitatis constitutus erat Herodes, promittere posset dona immensa, regno præiudicaria: forte dimidium regni, caput innocentis, vt fecit Herodes, aut dare vitam ei qui nec viuere, nec nasci debuit. Scripto vero agens, digesto quo madebat vino, remittente non nihil immoderata lætitia, nihil etiam facturus est immoderate. Magnus Alexander nonne temulentus ad preces

Vide consolationem P. Richeomi ad Reginam pag. 28. vsque 35.

Plutarch.
tom. 1. vit.
in Q. Flami-
nio.
Cic. de Se-
nect.

Scorti, ferro & flamma vastauit Persepolim, ipse cum suis facem ferens ardentem. Lucius Quintius Flaminus Romanus, nonne caput captiuo truncavit vino & amore calidus, in gratiâ Scorti? Nemo credat quatum ad impetrandum valeat oportune vel importune venisse. Cum mens serena est, comodum est agere.

Virg. 4. Æn.] *Sola viri molles aditus & tempora mors.*

—*Et qua mollissima fandi Tempora.*

Etiâ, Ne Reges, dum per oriû vnumquemq; audiunt, loquentium eloquentia peruertantur. Facundia enim quorundâ adeo mirabilis est, adeo nerada, adeo incantatoria, vt nec serpentes magis Marficorû populorum carminibus, nec nauæ tinnula sirenium harmonia sopiatur ac ligentur, quam corda Regum artificiosa dictione. Cultus sermo, blanda pronuntatio, comodus gestus, apposita actio, tormentû quoddam sunt auditorum & tyrannis, nescio qua latebris suauitate: quo populares non tantum corporis & cordis illaqueatur aures, sed & Regis quo lubet ducitur, non secus ac si manu in collum iniecta, libera in seuitutem abigeretur voluntas: imo vero sunt qui tantum dicendo valent, vt etiam quæ cum irameto negata sunt, suauiloquio & verborum compositione extorqueant: non redeunt nisi partem aut pennam referant. Phisistratus filius Hippocratis eloquentia Monarchiam Atheniensium inuasit; quæ târa in illo fuit, vt miseri Athenienses, fascinati quasi & demerati, libertatem quam tanto pere amabant, dimitterent.

Nunquanc legistis quomodo suauiloquio dominus noster Pharisæorum seruis manus ligauerit, cui ad ligandum ipsum venerant: respondent heris suis *Nunquam homo sic locutus est.* Quâ dicendi gratiam non dubito externa eius specie multum fuisse auctam, quâ spectatores omnes & amarent & timerent. *Vultu habens venerabilem quem possent inuentus & dilige & formidare:* de eo scribit Lentulus ad Senatum Romanum.

Ad idem propositum memini aliquâdo de magno viro legisse, cuius quamuis omnia mea collectanea, omnes memorie angulos lustrarim, nominis recordari

dari non possum: qui tantopere vnus ex suis formidabat eloquentiam, vt diceret *omnes alij verbis mecum agere possunt, tu solum scripto*. Pyrrhus Rex a deo fertur fuisse disertus, vt quidlibet cuiusq; semel colloqueretur persuaderet. Vnde & Romani, quo ū in negotiis magna prudentia, statuerunt ne quis ipsorum legatus ad ipsum, cum Pyrrho Rege aliter quā per interpreterem ageret. Quotquot enim ad ipsum destinabantur legati, ipsius redibāt procuratores: a deo animos ipsorum dicendo commutabat. Magnates igitur subditorum voces vt scopulos declinens, cera opplētes auriculas, ne audiant, vt Vlyssis soc j: oculos aperientes, vt postulata legant, ne carminibus Circes & verborum gratia incantati obtorto volentes nolentes rapiantur collo: forte & ideo; quia Principes omnibus quæ petuntur consentite nō possunt: non enim omnia omnibus concedenda sunt; atque ita cum minori rubore recusant: nihil enim sentiunt chartæ, nec erubescūt scripta. Et hoc commodissimum ad iniuriam declinanda respōsa. Sed duas etiā alias gravioribus arbitror subesse rationes, tutelam scilicet vitæ & honoris. Vitæ quidem; ne lōgis sermonibus ortū derur & spatium parricide, aut sicario, vt ad arbitrium feriat: traditur enim solū in transitu libellus supplex, nec datur tempus certum figendi ictum. Et dein mutus sermo hinc inde aliquando indignationem concitat, libellus supplex porrectus, nō lectus, non exasperat Regē, nec malo responso irritat subditū, quod paucis aliquin sæpe fit verbis. Honoris: ne quis in faciem ipsius iniuriā faciat, & auribus ipsorū sit grauis: quot enim Principes à subditis videmus contumeliose habitos? Imo de captiuis, cum ad colloquium admittuntur idem legimus: sorices etiam Elephantem exasperant, inquit S. Basilius. Nunquid atrociorē vis, quam istius muliercule, quam proposui aliquoties in Philip-pum Macedonæ Regem. Alexander magnus cum aliquādo piratā ipse dānaturus, rogasset cur infestaret maria: audiuit, & tu cur totum prædaris orbem? Ergo qui parua cymbula, hic illic piscor aliquid, pira-

*D. Aug. lib.
de ciuit. Dei
ca 4. Et No-
nius Mar-
cell. ex Ci-
cer. lib. 3. de
Repub.*

ra dicor: tu vero Rex potentissimus, quia mille navi-
bus, & tota classe, maria nauigas & spoliās, & totam
tuo terram subiicis imperio. Et quia reliquis poten-
tior es, Imperatoris nomine gloriaris. Ac si dicere vo-
luisset; inter piraticam meam, & tuum imperium, no-
minis quaedam nulla rei differentia est: nisi quod mo-
nus mea quam tua obsit prædatio. Vnde & Alexan-
der, inteligēs se nihilo meliorem, ac Deo non minus
pœnæ, quam ipsum hominibus reum, & potentia
tantum humanis legibus exemptum, erubuit talio-
cursu plectere piratam, & ipsum impune dimisit. Imo
vero homunciones inuenias similes auiculæ, quam

*Plin. lib. 10.
cap. 42.*

Taurum appellant, quæ etsi modica sit, imitatur ta-
men mugitum boum; sic & illi, etsi nani & perpusilli,
grandi tamen celsoque sunt corde, quod ipsum sex
septem cubitos supra caput ascendit. Regibus loquū-
tur, & Satrapis. Homines videas qui nihil nisi vox
sunt, vt de Philomela dicebat Lacedæmonius, cum
illam deplumatam corpore vidisset, tam exili, cuius
vocem tam sonoram tam audierat infatigatam. Ho-
mines inuenias, qui nec velint, nec possint etiā apud
dominos suos tacere. Imo si ipse Deus in terris age-
ret, non vererentur ipsi in faciem obloqui. Alij hū-
cia, innocentia, alij rerum desperatione. *Hec quam*

*Mimus Pu-
blianus.*

*timendus est, qui mori tutum putat: ille enim vitæ alie-
næ dominus est, qui suam contemnit. Consuetudo i-
gitur agendi cum magnis per scripta, non videtur im-
probanda, dummodo aliquando audientiam faciāt,
& verba litigantium audiant: dummodo diligentes
sint in respondendo, & libellos supplices non ex pa-
xillo suspendant, vt nonnulli Aduocati causas liti-
gantium. Alioquin enim ipsis euenire potest quod
Demetrio, qui cum magnum libellorum supplicum
numerum in sinum pallij collegisset, transiens pon-
tem omnes proiecit in præterlabentem amnem. Vi-
dentes autem subditi se contemptos, odium conce-
perunt tam capitale, vt exercitus ad Pyrrhum Regem
transfugeret, ac ipse sine vi, sine ferro regno exue-
retur.*

Plutarch.

Quid?

Quid? quem Deus vt vicarium suum inter homines collocavit, illū se dedignabitur monstrare populo; nec magis quam ipse Deus ad audiendas eorum iustas querelas accommodabit aurem; ille non dedignabitur oculos aperire, vt supplicationes legat, nec tres mouere digitos vt subscribat ac respondeat? Ergone de nihilo est quod populus Regem voluerit? nonne ideo vt in pace contineretur ac iustitia? Ergone gratis, an tali de causa tributa præstamus? Ergone frustra tantus pauperum & mechanicorum sudor, tanta pars lucri mercatorum in ipsorum confertur araria? Nonne vt emanant quasi & conducantur vt publicis negotiis seruiant, vt à capite à vita subditorum, suo etiam periculo mala amoliantur? Nam si necesse est, *bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*: vt publici sint tam paruis quam magnis communes. Reges si bene statum suum intelligant, nihil sunt quam Reipublicæ serui honorarij. Antigonus Rex nonne regnum *splendidam appellabat seruitutem*? Quales ergo serui sunt, qui liberalissime & diutissime ampliter habiti, nec præesse volunt, nec audire, nec legere, nec respondere.